SUB | NIEDERSÄCHSISCHE STAATS- UND UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK GÖTTINGEN

Werk

Titel: D. Jo. Frid. Blumenbachii Institutiones Physiologicae.

Autor: Blumenbach, Johann Friedrich

Verlag: Dieterich

Ort: Gottingae

Jahr: 1821

Kollektion: Blumenbachiana

Werk Id: PPN659038048

PURL: http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN659038048|LOG_0039

OPAC: http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=659038048

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.
Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.
Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

SECTIO XXXIII.

DE

A D I P E.

§. 481.

Humorum ſecretorum (quorum ſuccinctam tantum ſynopſin ſuperiore capite iunctim exhibuimus), ſingulorum plerorumque uberior notitia paſſim ſuis locis iam data eſt, aliorum infra prout occaſio feret adhuc mentio agetur. Biga ſaltem reſtat eorum, quae vix aptiorem locum inveniet, de ipſis diſſerendi, quam hunc in quem iam functionibus naturalibus hactenus abſolutis delati ſumus. Et quidem alter iſtorum, adeps nempe, ad *inquilinos* (§. 4.) pertinet; alter, ſcil. urina, ad *excrementitios.* De utroque ergo ſeorſim.

§. 482.

Etenim *adeps* *) oleoſus ſuccus eſt, in univerſum unguinoſis vegetabilium oleis haud abſimilis **), blandus, inodorus, levior aqua; praeter bina elementa quae ipſi cum oleis quae modo diximus, aeque ac cum cera communia ſunt, carbonaceum inquam et hydrogenium; praeſertim acido ſebaceo ***) ſcatet ut vulgo audit, quod propius ab acetico abeſſe videtur.

§. 483.

Ex ſanguine ſecretus et in telam mucoſam depoſitus guttatim eidem inhaeret,

*) Gu. Xav. Jansen *pinguedinis animalis conſideratio phyſiologica et pathologica.* Lugd. Bat. 1784. 8.

**) Joach. Diet. Brandis *comm.* (praemio regio ornata) *de oleor. unguinoſor. natura.* Gotting. 1785. 4. p. 13.

***) Joach. Jac. Rhades *de ferro ſanguinis hum. aliisque liquidis animalium.* ibid. 1753. 4. cap. 4.

Dav. H. Knape (praeſ. Segnero) *de acido pinguedinis animalis.* ibid 1754. 4.

Laur. Crell *chemiſches Journal* 1778. P. I. p. 102.

laminis huius telae tanquam ſepimentis diviſus, ſimili fere ratione qua humor oculi quem vitreum appellant ſimilibus eiusmodi telae cellulis continetur.

§. 484.

Verum adipis ad diverſas corporis humani partes varia quoque relatio eſt.

Sunt enim primo loco partes corporis, quarum tela mucoſa etſi molliſſima et tenerrima, nunquam tamen in homine ſano adipe repletur, qualis ea eſt quae palpebris interiacet, et virili virgae ſubſtrata etc.

Porro autem innumeris per corpus locis inconſtans adeps diffuſus eſt, maxime in panniculo adipoſo, muſculorum interſtitiis etc.

Denique autem quibusdam in locis perpetuus et ni fallor certis et definitis loculis incluſus eſt adeps, ſtatutis et ſingularibus uſibus inſerviens, quo v. c. illud referrem ſevum quod baſi cordis

quaſi infuſum eſt *); tum et eum adipem qui montem veneris in pube feminea conſtituit, et qui peculiarem et circumſcriptam glebam formare mihi viſus eſt **).

§. 485.

Diverſis in locis varia eius eſt conſiſtentia. Fluidior v. c. qui orbitae inhaeret; durior e contrario et ad ſevi ſimilitudinem accedens, qui renibus adiacet.

§. 486.

Sero in fetu ſubnaſcitur, ita ut vix ante quintum poſt conceptionem men-

*) Facile hinc intelligitur quantis exceptionibus obnoxium ſit cl. Fourcroy decretum, quando adipem materiem vocat oleoſam, formatam ad extremitates arteriarum et quam remotiſſime a centro motus et caloris animalis etc. v. Ei. *philoſophie chemique* p 112.

**) Luculentius adhuc in cadavere femineo *ſimiae cynomolgi* reperi, cui frigori expoſito circumſcriptam eam adipis ſub pube locati glebam, ſymmetrice formatam, integram exglubere licuit.

ſem certa eius veſtigia in eo dignoſcere liceat.

§. 487.

De ipſa vero ſecretione eius diſputatum eſt: num ſcil. ope peculiarium glandularum fiat, quae Gu. Huntero ſententia fuit, an tantum per diapedeſin ex arteriis transſudet? Poſterior ſententia praeter alia argumenta vel exinde veriſimilior videtur, quod et ſubinde praeter naturam adeps viſus fuerit in regionibus alias eo orbis: id quod ſimplicius ex iniqua vaſorum diſpoſitione, quam glandulis plane contra naturam noviter exortis explicari poſſe videtur: ita v. c. in ipſo oculi bulbo adeps aliquando repertus eſt; et ſimile ſevum locum replere ſolet ex quo teſtis exſtirpatus eſt; imo vix cavum corporis eſt, in quo non quandoque viſa fuerint ſteatomata.

Sed et in univerſum glandulae quibus ſecretionem pinguedinis tribuere

annisi ſunt viri cl. hactenus ad entia rationis pertinent *).

Utut interim ſit, id certe conſtat, tum ſecretionem tum reſorbtionem eius celeriter peragi poſſe.

§. 488.

Uſus adipis multifarius eſt.

Lubricat ſolida et motum adiuvat. Nimiam ſenſilitatem obtundit. Demum et cutem aequaliter diſtendendo pulcritudinem iuvat.

Ut peculiares pinguedinis certis quibusdam locis deſtinatae uſus taceam, ut medullae oſſium etc.

Secretus vero in corpore humano ſano adeps ad ipſam eius nutritio-

*) Singularem cl. HOME ſententiam de ortu et uſu adipis, quod ſcil. in inteſtino craſſo, bilis praeſertim acceſſu, formetur, et corpori ſecundarium nutrimenti genus praebeat, pluribus expoſitam v. in *Philoſophical Transactions for* 1813. pag. 146.

nem parum, ſi quidpiam, conferre videtur *).

Maiori contra probabilitatis ſpecie ſe commendat nuperorum ſententia, qui quoque adipem tanquam pro receptaculo ſuperfluae nec alias facile evacuandae portionis elementi hydrogenii habent **).

*) Inſecta vero exſanguia, ex adipe quo abundant, praecipuum ſui nutrimentum haurire probabilis ſane coniectura eſt P. Lyonet, *Tr. anat. de la Chenille qui ronge le bois de Saule*, pag. 428. 483 ſq. et praef. pag. XIII.

**) v. Fourcroy l. c.